



Occasionalia VI-179.  
potissimum carmina.  
vol. Fase. 19.

Centurie quinque.

Ung VI-179.





5

SOLENNE GRATULATORIUM,  
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPI  
AC DOMINO, DOMINO  
**F R I D E R I C O**  
**G U I L I E L M O,**  
MARCHIONI BRANDENBUR-  
GICO; SACRI ROM. IMPERII ARCHICA-  
RARIO ET ELECTORI SEPTEMVIRO,  
Magdeburgi, Prussiæ, Juliæ, Cliviæ,  
Montium, Stetini Pomerano rum, Cassubiorum, Vanda-  
lorum Crosnæq; ac Carnoviæ in Silesiâ DUCI, PRINCIPI Hal-  
berstadensi & Mündensi. BURGGRAVIO Norimbergensi,  
COMITI Marcæ & Ravenspergi. DOMINO  
Ravensteini &c.

DOMINO SVO CLEMENTISSIMO.  
NUTRITIO STVDIORVM SVORVM OPTIMO, MAXUMO.


Cum EI


Natus HÆRES MASCULUS esset,  
devotissimè institutum, peractumq; publicè Witte-  
bergæ Feriâ tertîâ Paschatis

SERENISS. CELSITUD. EJUS  
Alumno subjectissimo  
SIMONE FRIDERICO FRENZELIO  
Cotbusio-Lusatia.



Charactere JOHANNIS RÖHNERI Academ. Typographi  
ANNO M DC. LV.





RECTOR

ACADEMIÆ WITTEBERGENSIS

ANDREAS KUNADUS

SS. Theol. Doctor & Professor Publicus, Consisto-  
rij Ecclesiastici Assessor, & Electoralium.

Alumnorum Ephorus,

CIVIBVS ACADEMICIS S. P. D.

**N**on tam cogendum in ar-  
ctum officium Oratoris est, ut ei non  
nisi in curijs atque judicijs locus sit,  
cum aut disceptat causas, aut svadet uti-  
lia: vel ubi honesta vehenda laude & commendan-  
da sunt; reprehendenda turpia, & adducenda in-  
odium, Latius patet, & ubi cunq; dicendi occasio est,  
ibi & sibi vindicat partes. Itaq; gratulationibus  
etiam, & faustis ominibus fungitur: & quod in  
nuptiis, in puerperijs, & alijs istiusmodi causis,  
Poëtæ frequenter carmine, id ille suo opere agit.  
Si voluptate minore fortassean, majore tamen  
gravitate. Neq; non extant apud Veteres Oratio-  
num hujus generis exempla æque atq; præcepta;  
non repertenda hoc loco tamen, cum aliò spectent.  
Fretus tamen hâc auctoritate, literatissimus Juve-  
nis, SIMON FRIDERICUS FRENZELIUS,  
Cotbusio-Lusatus, cum nuper accepisset nuntium  
SERENISSIMO ELECTORI BRANDENBUR-  
GICO Hæredem masculum feliciter natum, indu-

xit animum, de tanto bono publicè gratulatio-  
nem instituere, approbaturus pietatem suam &  
Principi; Civis & Nutritoribenignissimo alumnus.  
Neque enim producere in Academiam potuisset  
cepta studia facile, nec sustinere ibi hactenus, nō li-  
beralitas Domini succurisset. Horum primitias  
itaque, ut se debere jam olim intelligit probè; Ita  
inter hæc gaudiorum festa, & exultantis Patriæ  
publica studia optimè illas & opportunissimè of-  
ferri posse existimat. Quod si cujusdam ne-  
cessitudinis jura intercedunt finitimis, & fortu-  
narum communio quædam; non alieni videbimus,  
qui in societatem aliquam hujus lætitiae venia-  
mus. Imprimis cum reputamus animis, quot Se-  
renissimæ domus, SAXONICA & BRANDEN-  
BURGICA, quibusq; sanctissimis vinculis conne-  
xæ invicem & obligatæ. Quapropter & dedi-  
mus veniam facile petenti orandi in publico co-  
piam; & nunc Vos adhortamur, ACADEMICI  
CIVES, ut recitaturo ad Hor. II. posteà ad sitis fre-  
quentes, & gratulantis pietatem juvetis faustis  
omnibus. Non uni genti nascuntur Principes  
magni: latè & publicè prosunt, cum boni etiam  
fuerint. Sicuti Sol uni regioni videtur incumbe-  
re, qui tamen fœundi caloris vim simul indissi-  
ta spargit: ita Principes boni æque sibi subditos  
fovent, & alienis solatio sunt. Sed ut evadant  
existantque tales, post alia, vota etiam & bonæ  
preces efficiunt. Id obtainere enim à DEO pos-  
sunt, ut & augeat concessas anteà illustres indolis  
opæ; & ut easdem corrumphi non sinat.  
P. P. Feriâ tertiatâ Paschæ, anno recuperatæ gra-  
tiæ cl. I. c. LV.

శ్రీ విష్ణువు ప్రాతిష్టాతమి ప్రాతిష్టాతమి ప్రాతిష్టాతమి ప్రాతిష్టాతమి

**M**agnifice Domine Rector, Patres Academiæ, pluri-  
mum Reverendi, Consultissimi, Experientissimi,  
Amplissimi, Excellentissimi: Spectabiles Domini  
Decani, Seniores Venerandi, Assessores Scabinatus & Fa-  
cultatum Clarissimi, Artium liberalium Magistri Exi-  
mij: Tuqz studiosorum & gente & mente corona nobilissi-  
ma, eruditissima, præstantissima!

**N**on maximam solum Virtutem, sed Virtutum Matrem Gratitudinem Tulliana deprædicat Eloquentia: quid dico Tulliana, eaque humana? ipsa divina uberrimis eam elogiis afficit, quippe ex quâ, ceu Matre generosâ par soboles nascitur, & stirps latissima emicat. Unde enim, quæso, iugis ergâ Parentes pietas? undè ex naturali jure debita in Patriam, ejusdemq; Patres charitas? undè vera in Deum religio? Nonne ex gratitudine, tanquam matre ex prægnanti quodam utero gnatæ, excluduntur, producuntur? Etenim, quid pietas ergâ Parentes, à queis, concurrente Deo, nostra suum trahit ortum vita, quam explicita grati animi declaratio? quid charitas ergâ Patriam, ejusque Patres, qui vitæ nostræ tuentur rationem industrij, quam pia juris naturalis exsecutio? Quid deniq; vera ergâ Deum religio, à quo, per quem ac in quo sumus, movemur ac vivimus, quam perspicua gravissimæ mentis testatio? Ex ipsis sanè primariis, non secùs ac ex rivulo scaturienti, residuæ derivantur virtutes omnes: Ipsæ verò ex gratitudine fonte quasi largifluo promanant. Sincerus igitur gratitudinis cultor inæstimabilem Virtutum assequetur thesaurum; Ingratitudinis contrà, qui vitio laborabit nefando, in totum vitiorum incurret agmen,

B eamq;

eamq; sibi conflabit fortunam, ut malum à domo  
ipsius, quod Sacrarum literarum minantur oracula,  
nunquam recedat. Sed celebrare *Gratitudinem*  
justis encomijs, nunc quidem instituti mei haud est.  
Et quanquam in argumentum eam Orationis ele-  
gi minimè; stimulum tamen & incentivum habui  
ad dicendum: Hæc namq; pectoris tetigit viscera,  
hæc me commovit, ut Cathedram hanc indignus,  
quam Viri incomparabiles infinitis abhinc illustrâ-  
runt annis, & jamdum illustrant mirificè, consen-  
dere non erubescam: Audaculum forte hoc videa-  
tur; sed hoc lubentius mihi vestra ignoscet beni-  
gnitas, quod me non temeraria aliqua ratio, sed  
pietatis vis audacem fecit. Nimirum *Gratitudinis*  
dignitas, utpote unica Orationis meæ meta, contrà  
accusantes excusantis tuebitur partes plenissimè,  
nec ullum Vobis reliquum aut audaciæ, aut pruri-  
tûs, arrogantiævè relinquet vestigium. Expectatis  
forsitan argumenti mei expositionem? Ne in au-  
rium vestrarum attentionem injurius, sollicitum  
vestrum diutius detineam animum, sermonis mei  
scopum, non tam ad debitam erga Parentes pietatem,  
nec adeò ad veram erga Deum religionem (nun-  
quam tamen extirpandas animo, & indies potius di-  
ligenter colendas) sed ad perennem erga Patriæ meæ  
*dulcisimæ*, PATRIS MAXIMI, cultum & pietatem,  
collimare unicè profiteor: Ad *Serenissimum*, puto, (re-  
verenti liceat ore pronunciare nomen) *Celsissimum*  
perinde ac *Potentissimum* Principem ac DN. DN. FRI-  
DERICUM WILHELMUM, Marchionem Brande-  
burgicum, S. Rom. Imperij Archicamerarium, & Electorem  
*Septemvirum*: Magdeburgi, Prussiæ, Juliæ, Cliviæ,  
Montium, Stetini, Pomeranorum, Cassubiorum,  
Vandalorum, Croßnæ ac Carnoviæ in Silesiæ  
*Ducem*: Principem Halberstadiensem ac Münden-  
sem

Sem. Burggraviū Norimbergensem, Comitem Marcæ & Ra-  
venspergi, Dominum Ravensteini &c. Dominum meum Cle-  
mentissimum, Patriæ meæ Patrem maximum, studiorum meorum  
Nutritum Optimum. Ecci enim & vitæ & studiorum  
meorum deberem rationem? Nonne *Tibi, Serenissime*  
*Elector?* Quemadmodum enim Princeps syderum, Sol fœ-  
cundo radiorum fulgore sita inferius sovet ac recreat, atq;  
in fœtus varios efflorescere facit: ita & *Tu, ô Brandenburgice*  
*Sol,* conjectisti in me benevolum lumen, & excitasti ac su-  
stinxisti studia mea hactenus, ex quo Stipendium Ecclesia-  
sticum, quod vocant, mihi quam clementissimè decretisti.  
Ecquid verò, *Serenissime Elector,* ecquid digni à mea Tenui-  
tate in *Tuam Serenitatem,* gratam offerentis mentem, deri-  
vari potest? Me minimum *T.S.* debitorem fateor maximum:  
Certè si omnes tūm corporis, tūm animi colligam vires,  
non tamen invenero quicquam, quod referendæ gratiæ  
fuerit par; non vita ipsa & studia mea: & præter ista quid  
habeo amplius, quod possim conferre? Illam verò *Tuæ Seren.*  
humillimā offero mente: Hæc devotissimo consecro cor-  
de! Sed cogitanti mihi & ambigenti, in quā potissimum re-  
mearum gratiarum primitias *Tibi* offerrem; Explicuit com-  
modè hunc æstum meum lætissimus nuntius, qui de nato  
*Serenitatis Tuæ* Hærede masculo afferebatur. O fortunam  
felicitatibus alijs præferendam! O occasionem cunctos  
lætitiae limites superantem! Experciscere itaque, dicebam,  
mussitans mea Musa, & tantam occasionem demonstran-  
dæ pietatis tuæ ne prætermitte, aut elabi sine: periclitare vi-  
restuas, quamvis in loco extraneo; inter hos tamen posita,  
qui plausu possint juvare, & benevolentia provehere tuos  
conatus: Noli despondere animum & pro incitamento sit  
poëtæ carmen:

*Vt defint vires, tamen est laudanda voluntas.*

Eapropter verò cordis tripudio *Principis recens natu-*  
*ralitia expone, quā ratione poteris, & amplissimum Glorio-*  
*sissima Memoria Avorum atq; Proavorum stemmatis theatrum*  
*B 2 ingre-*

ingredere devota: Examina æquà judicij lance extenelli  
Principis nativitate suborti gaudij gravitatem, & ingentis  
in Rempublicam Brandenburgicam profilientis emolumenti  
præstantiam pro tuo virili explica: Tandem voti pro  
omnigenâ tūm corporis, tūm animæ prosperitate devotî  
pium Colophoni adjice calculum.

Vos Auditores, omnium Ordinum honoratissimi, vestræ at-  
tentionis & benevolentiae solitæ Favonio Orationis meæ  
vela impellite, quo ratis mea, eum, quem anhelat, portum,  
eò faciliori attingere valeat viâ. De quo nec ullæ menti  
meæ supersunt dubitandi reliquiæ, cum hoc, tam propen-  
sus Sereniss. Electoris Brandenburgici erga studia, ejusq; culto-  
res industrios adfectus, quām nobilissima ipsius materiæ  
dignitas, jure quodam efflagitare videantur.

Si benè precantis candori à Numinē illo provido tan-  
ta assignata esset vis atq; potestas, ut nuncupata vota in ex-  
optatum deducerentur effectum, non insimam hoc sortis  
humanæ æstimare in felicitatem; cùm & meo meliora quæ-  
que impræsentiarum sponderent animo: Eò votorum  
meorum tenderent nervi, in id prorumperent desideria  
cordis, ut aureâ instructus lingua Cicero, qui effinxit vim  
Demosthenis, copiam Platonis, jucunditatem Socratis, è  
cineribus redivivus, se mihi insinuet, & eloquentiâ suâ  
natalitia Principis prosequatur. Non enim humani Orato-  
ris est, de Principibus in summo gloriæ fastigio collocatis  
exponere, & illustrissimæ vitæ rationem pari sermone  
declarare. Divinum ingenium ista postulant, cœlesteq; os,  
quale fuit in Tullio beatissimis copiis in omne genus cauf-  
farum redundans. Sed cum optare hujusmodi quid teme-  
rarium sit, sperare autē dementiæ proximum; ad te, ô Gratia-  
tudo, configio, & tuo patrocinio fretus, quandoquidem  
semel in gradu isto consti, in hunc, ut sic dicam, natali-  
tiorum gaudiorum campum procurro. Rectissimè vero  
ab ipso tempore, quo ortum sum sit felicitas patriæ publica,  
capessam initium. Sexto itaq; Februarij proximi sub horam de-  
cimam, pergente ad meridiem Soie, Serenissimo Principi meo, indul-  
gentissimo

gentissimo Domino meo, & dignatus Septemviris, quâ fulget, &  
tot amplissimaru ditionum, quas possidet, natus est Heres. Salve  
anni tempus fertilitate tua abundantissima pectora nostra  
recreans! Salve mensis jucunditate immensa uberrime  
replete! Salve dies candidissimo calculo signanda semper!  
Salve benignissima hora, quæ nostras tanta permulsiſti  
mentes lætitia & voluptate! Salve iterum, serenaq; ac felix  
fulge perpetuo patriæ, nullo unquam corrumpenda nu-  
bilo, non tenebris ullis obducenda. Salve iterum & ipſe  
dies, qui cum in fastis consecratus Dorothæ nomine ſis,  
quod nobis augurium, quantumq; nomen afferre potes?  
Non referendum nunc eſt de nobilissimi hujus nominis  
*Origine*, nec de personis, quæ eo ipſo condecoratae fuerint,  
de *Emphasi* ejus tantum dicam. Non enim nomen in ſe  
spectatum noſtro imponere *Principi*, animo meo destina-  
tum eſt; cum illud ſexū ſc̄mineæ dicatum coronæ unicè  
ſit; ſed egregium ex expositioне ejus elice re omen, idq;  
noſtro applicare *Principi*, intendo. Ecquid autem Dorothæ  
nomen continent significandi? Nonne præclarum à Deo ex-  
petitum donum! Quæ igitur perfectior in noſtrum cadere  
potest *Principem* descriptio, quod ſi dicam definitio, quām  
longē pretiosum per tot ex sincero pectori proficienſia vota à ſola  
Dei misericordia obtentum, & Serenissimo Electori, imò toti Celsiſſi-  
ma domui Brandenburgicæ oblatum donum! Non enim noſtra  
id promeruit probitas, aut recte agendi ratio, cum poenas  
potius justas, adeoque infinita adverſa delictis accersiveri-  
mus noſtris, ſed ſola Dei misericordia intercessoris ſuſti-  
nens partes, à divina illud nobis extorsit precibus justitiæ  
donorum omnium eminentiſſimum donum: O inenarrabilem  
Dei bonitatem! O donum Illuſtrissimæ domūs Bran-  
deburgicæ pretiosiſſimum! Sicuti autem ea debet eſſe dono-  
rum ratio, ut æquo offerantur mentis calculo, nec à do-  
nante ad ſuas revocentur manus, ſed donati proprio con-  
ſecrentur commodo: Pari ratione cælicam veneror mi-  
ſericordiam, ut donum hoc inæstimabile jam jam conſeffum  
Serenissimo Electori in efficax animi refrigerium, toti Celsiſſi-  
ma

ma domui Brandenburgicæ in summum Reipublicæ emolumentum in constanti prosperitatis gradu tueatur, conservet. Sed non prætereundum & illud est, quod ipso hoc die, quo in *novello Principe cœleste* nobis contigit bonum, & iple *Serenissimus Parens* est natus. Non hoc fortuito casui, non certis syderum adscribendum motibus est: à dispensatione & ordine benefici Numinis hoc totum venit; Ut caperemus augurium expectandum à *F I L I O*, quod maximo omnium bono hactenus præstabilit Parens, præstabitisque deinceps in longos annos, ut, inquam, vivendi contulit causam, El & imperandi præbeat exemplum. Diximus de *natali tempore*: nunc de *Origine ipsa & stirpe reddendum* est. Sed sive ad *Serenissimum Dn. Parentem*, sive ad *Gloriosissimæ memorie Avos & Proavos* lumina rationis meæ flectam,, virtutesq; Eorum ac gestas res, toti orbi decantatissimas, volutem mente, hæreo dubius & ambigo valdè, quid pri-  
mum omnium, quid altero, tertiove loco recenseam? Tot maximæ enim ingenij h̄ic animiq; dotes, tot illustrissimæ virtutes concurrunt, & velut contendunt inter se ac cer-  
tant, ut dirigere atq; componere ordine, judicio maximo etiam præditis difficile sit: laudare verò ex meritis nec elo-  
quentissimi possint. Audendum tamen aliquid est, &, si quantæ ipsæ sunt, exprimere earum effigies non licet, in  
parvo orbe tamen repræsentare illarum imagines, fraudi non erit. Si licitum itaq; mihi est, *Celsissimum DN. PAREN-*  
*TEM, ELECTOREM BRANDEBVRGICVM, Dominum*  
*meum Clementissimum* flexis accedo genibus, *CUJUS*, dum  
illustres contemplor *Virtutes*, earum eminentia longè su-  
perat ingenij mei humilitatem. Quemadmodum enim  
Sol, unicus mundi oculus, splendidam suam lucem per  
omnes mittit mundi plagas, stipatus innumerà syderum,  
abundanti a: Ita *Illusterrimus Sol Brandenburgicus* per omnes  
undiquaq; terras tantum evolutum spargit lumen, ut tam  
felici & copiosa facundiâ nemo sit, qui rationes earum &  
species digno eloquio vel adumbrare saltem valeat. Ego, si  
pace vestra id fieri potest, *Hospites omnium Ordinum honoratis-*  
*simi,*

simi, id sumam in præsentim mihi, ut unâ ex illis infinitis sele-  
cta, reliquarum omnium in eâ monstrâsse compendium,  
quoddam, videar. Quanta *Justitiae* sit dignitas, ex Veterum,  
quibus eam ornatam dederunt, constat elogijs: adeò, ut si-  
ne *Justitiâ* ne ipsum quidem Jovem rectè imperare posse,  
asseveraverint. Eapropter meritò, teste veritate & experi-  
entiâ, JUSTITIAM, ut pote ipso Hespero atq; Luciferô pul-  
chriorem stellam, SOLI quam proxime adjungo BRAN-  
DEBURGICO, cum luculentas *Justitiae* quotidiè emittat  
radios, iisdemque totam regionem dirigat Brandenburgicam:  
quam recto enim *justitiae* tramite in Consiliis magna impor-  
tantibus incedat, Reipublicæ evidens probatum exhibet  
incrementum? quam justo studia prosequatur adfectu, cer-  
ta eaq; insignia iis munificè expediendo præsidia, Eorum  
cultores grato testabuntur pectore? quam alacri denique  
animo in libellis supplicibus benigno susceptis vultu, non  
habito personarum respectu, vires *justitiae* suæ exserat lar-  
gas, singuli Brandenburgicis regionibus addicti, unanimi elo-  
quuntur ore, & experientia confirmat quotidiana. Sanè  
Virtus *Principi* admodum necessaria, sine quâ nihil in im-  
perij administratione laudabile efficitur; quâ remotâ, regna  
nihil aliud sunt, quam magna latrocinia. Hæc virtus est,  
quæ Trajanum *justitiae*, ac juris humani diviniq; tam reper-  
torem novi, quam inveterati custodem, perpetuâ nomi-  
nis celebritate maestavit: hæc Aristidem evexit: hæc Ro-  
mani Imperij vim ad summum transtulit apicem: Ea ipsa  
SERENISSIMUM ELECTOREM ad cœlicas evehet se-  
des, & divino maestabit honore. Ea memoriam ipsius à ca-  
ducæ oblivionis immunem præstabit corruptione, & im-  
mortalitati serio commendabit: Quales enim actiones,  
tale earundem præmium: cum verò Virtus quædam divi-  
na res sit, templisq; ob eam caussam & aris culta veteribus;  
idcirco ejus Cultores eximij suprà homines habendi meri-  
tò sunt, eorumq; fama & gloria propaganda ad posteros &  
commendanda. Quid nunc de AVO, de Proavo, Abavoq;  
& cœteris *Principis* parvuli Auctoribus maximis dicam? Quas

ut referre justis elogiis non possum, ita eminentissimæ  
quemq; charactere virtutis suæ insignitum producam.  
Quanta igitur AVI TUI, GEORGII GVLIELMI Glo-  
riofis. memoria, Serenissime Pusio, prudentia fuit, quæ nihil  
aliud est, quam notitia rerum eventuumq; ac rectum ju-  
dicium de iis, ut intelligere possis, quæ conducent aut noce-  
ant, quæ sequi aut fugere contrâ, ac cavere oporteat?  
Quanta clementia Proavi JOHAN-SIGISMUNDI, quæ in  
quamcunq; pervenit domum, eam felicem, tranquillamq;  
reddit? Quanta JOACHIMI FRIDERICI Abavi Tui pie-  
tas: quæ sola & hujus & post futuræ vitæ felicitatem pro-  
mittere habet? Quanta in Atavo JOHANNE GEORGIO  
Sapientia, quæ nihil majus in rebus humanis? Quid nunc  
de summa autoritate JOACHIMI Secundi, virtute & felicitate  
parta, commemorem? Quid de Scientiâ juris atq; doctrinâ,  
quæ JOACHIMUM I. Illustrem fecit? Quid de facundia JO-  
HANNIS, quæ Ei Germani Ciceronis dedit cognomen? Ne-  
dum de Strenuitate ALBERTI, acerrimaq; Virtute, ex quæ  
Achilles Teutonicus appellatus est; Neq; de Fortitudine FRI-  
DERICI II. quæ EI ferrati peperit nomen; Neq; de Magna-  
nimitate FRIDERICI I. quicquam dixi. Hic ille FRIDERI-  
CUS est, qui primus in gentem tuam Sceptrum Imperij  
intulit, & Septemviralem dignitatem TIBI fecit deberi.  
Adolesce feliciter, tot maximorum Heroum Sangvis, adole-  
sce, inquam, atque ingredere olim hoc gloriosissimum  
auctorum Tuorum gloriæ virtutumq; amplissimum thea-  
trum; Et ad majorum illustria decora propriarum dotium  
adjunge splendorem! Sic crescent nostra quotidiè gaudia,  
& Tuis ab auctibus incrementa sument. Nunc de infantia  
Tua lætamur, mox de adulta ætate, & virtute plena trium-  
phabimus. Cum simul & PATRIS canitiem & Tuam viri-  
ditatem amabimus, & cum Prudentiâ GENITORIS, Gnatimi  
rabimus alacritatem. Nolo priora vulnera nostra tange-  
re, & in prioris luctüs redire memoriam, quem præmaturus  
in infantiadiscessus Fratris Tui antecessoris peperit. Eva-  
nuere nubila omnia, ex quo hic amoenissimus lætitiae Lu-  
cifer

cifer exortus nobis. Reuertimini igitur mansuræ lætitiaæ  
præcones publici! Exequimini debitas officij vestri vices, &  
in honorem Nati Domini omnes periclitamini vires: intona-  
te tubæ, & modulamini generosos concentus. Ameno  
movemini instrumenta cujusvis generis tactu, & devotam  
benigno Numini offerte Symphoniam, debitas pro maximo  
dono ei consecrantem gratias! Accingite vos ignivomen-  
tia jacula ad exhibenda in libero aëris expanso spectacula  
grata! Phalaricæ hilares celebrate choreas! Tormenta gran-  
dem dispargite sonum, quò felicitas nostra omni innotescat  
terrarum parti! Lætamini & natalem Principis festivum ce-  
lebrate; Edito namq; in lucem Domino atq; possessore uti-  
mini! qualis autem rerum conditio, possessoris certitudine  
expertum? Nullius momenti, & nulli destinatæ usui. Vos,  
PARENTES SERENISSIMI, ardentia cordis testamini tri-  
pudia, cum Filium longo exspectatum desiderio, Hæredem  
unicum, felicissimis obtinueritis manibus: Amplectimini  
Eundem brachijs vestris celsissimus, suaves amoris paterni  
indesinenter in ipsum directos tenete radios, & oscula figi-  
te labris Fjus amabilia! Et Tu, tota Illustrissima Domus Brande-  
burgica flexis natum excipe Principem genibus & lætitiaæ atq;  
observantiæ servitia nato exhibe infallibilia! Tu quoq; augu-  
stissima S. Romani Imperij sanctitas amoris atq; favoris rivulos  
incunabula Celsissimi Principis derivare, ne dubites, taliq;  
novellum Principem Tuum benevolentia complectere, qua-  
li serenissimum Dn. Parentem, Archicamerarium Tuum meritissimum  
prosequeris jure, quippe qui de statu Tuo conser-  
vando plus quam herculeos labores perfert. Vos deniq; Ur-  
bes, & Regiones & Nationes famigeratissimæ Principem ovan-  
tes suscipite, & vestri officij memores futurum veneramini  
Dominum: Tu Marchia, inquam, Tu Magdeburgum, Tu Prussia  
Tu Julia Cliviaq;: Vos Montes, Tu Stetinum, Vos Pomerani,  
Cassubi, Vandali, Tu deniq; Crozna, ac Carnovia in Silesia, osculai-  
nit teneram Vestri Ducis manum in fidei invictæ pignus pe-  
renne. Tu splendissima Urbium Norimberga, debitum Tu  
Burggravio consecra sincerè honorem. Tu Halberstadium ac

D

Munda

Munda justam Principi Tu reverentiam constanter præsta!  
Tu Marca & Ravenspergum obedientiam sancte promissam  
Comiti Tu declar Ingenuè! Tu Ravensteinum observantiam  
erga Dominum Tuum fove sempiternam.. Et tu Berolinum,  
Marchie ocelli, venerare depositum tam grande, quæ tantâ  
á bonitate divinâ donata es felicitate, ut Principem exopta-  
tissimum in hanc mundi ederes lucem: Magnum Ens  
est, & de quo gratulandum Tibi meritò: quippe cui soli  
contigit, infantem Principem excipere primum., Ei quod  
incunabula dare. Omnes Celsissima Brandenburgica Domui ad-  
dictæ Vrbes, Regiones Nationes, verè de nato Principe jubilate,  
ovate, exultate: Tantus enim, utilitatis è natalitijs I-  
PIUS exortus est fons uberrimus, quantus cancellis lingvæ  
circumscribi nequit. Quam nunc le erigit Electoratus Bran-  
deburgicus? quam spei haurit fiduciam? Cum fulcrum atq;  
subsidiū habet, cui securitas sua innitatur. Diutissimè vi-  
vat Serenissimus Elector, & seris annis veniat dies, quæ statio-  
ne mortali ipsum absolvat; si contigisset tamen, ut sine suo  
hærede decederet, putelne quid tristius & luctuosius in Mar-  
chiam totam potuisse expetere? Rarò feliciter satis mutan-  
tur Domini. Et nescio quomodo omnis fermè suspecta est  
novitas. Tuæ igitur Serenitati potentissime Elector, submisso  
animi cultu gratulor, quod EANDEM jucundas Parentis lusti-  
nentē partes, in summâ felicitate cernam; serio effuso voto,  
ut maximè delectabile atq; proficuum Parentis nomen non  
in hoc solum Gnato exprimat, sed in sequentibus pluribus  
idē mereatur, latissimeq; diffundat stirpē, neq; à filiis tantum  
Genitor, sed à Nepotibus quoq; Avus ac Proavus salutetur.  
Tuæ SERENITATI quoq; Eminentissima Principis Genitrix,  
himillima gratulor mente, quod functa molestijs uteri, fun-  
cta laboribus partus feliciter teneat pignus, à cuius salute  
ac incolumitate tot populorum status atq; felicitas pen-  
det. Magnum quoddam & plenum discriminis parere est.  
Itaq; apud Tragicum Hecuba, Priami Trojanorum Regis  
Uxor, experimentis edocita, exclamat, terfese cernere in ar-  
mis, quam eo semel defungi. Lætor itaq; serenissima prin-  
ceps

ceps, tot evasisse pericula omnia, quæ aliquando cum partitidine esse conjuncta solent, & auspicatissimum experimentum fœcunditatis dedisse iterum. Macte felicitate istâ & florem ætatis Tuæ pluribus æque felicibus puerperijs redde insignem! Devotus jam Tua accedo iucunabula, CELSISSIME PRINCEPS recens nate, Heres exoptate, splendid a Electoratu Corona! quænam efficaciora amoris indicia ex Illustrissimorum Parentum cordibus in Tua tenella Corporis membra prodire possunt, quam Vota? quænam excellentiora observantiae argumenta ab Urbium, provinciarum atq; Nationum agmine in divinam animæ Tuæ culturam derivari possunt, quam Vota? quænam digniora gratitudinis fundamenta in Tuam serenitatem à mea tenuitatem profici sci possunt, quam vota? Vota namque devota ad cœlicam missa omnipotentiam, cum summo revertuntur pondere, quod metam illorum pertingit felicissimè. Hâc sumptâ fiduciâ, SERENISSIMI PARENTES, ô Princeps amabilis, de suo vigore tenello corpori Tuo valetudinem spondent & firmitatem, precanturque, ut adolescas, ut dures feliciter, & ut Poëtæ loquuntur in Pylios annos superes, maximo totius Celsissime Domus Brandenburgicæ incremento! PARENTES S. R. IMPERII SANCTITAS sequitur, hunc Voti deponens thesaurum, ut Vita Tua vivum serenissimi Dn. Parentis, Avi, Pròavi, Abavi, & reliquorum Majorum Gloriosissimæ memorie Virtutum sistat exemplar! Proximè, sed longo intervallo proximæ Urbes regiones & Gentes Brandenburgicæ vota consecrant. Quarum quæq; alicujus Virtutis, quæ insignita in majoribus Gloriosissimæ memorie fuit, gemmam offert. Et MAGDEBURGUM accedit, votum afferens Justitiae, cum eâ ipsâ regnum stabiatur, si nempe Magistratus in se, inq; alijs jus & æquitatem servet. PRUSSIA consecrat Tuo animo Prudentiam, hæc n. sola præit in actionibus suscipiendis, & dicit ad rectè faciendum. JULIA, CLIVIA & MONTES vovent Clementiam, illa siquidem Principis propria Virtus est; majore namq; in eos propendemus affectu, qui leniter imperant, qui pauca agunt vi, & invenire bonos, quam facere malunt. STETINUM & POMERANIA debitam menti exhibent pietatem, quæ unicè dirigit Virtutes, & sola stimulos ad earum cultum addit ardentes. CASSUBII apprecantur Sapientiam, cum illa consilia ingerat sana, & perceptas penitus, & pertractatas res humanas habeat, nihil admiretur, cum acciderit, nihil antequam evenerit, non evenire posse arbitretur. VANDALI TIBI dedicant autoritatem, præclarum namq; DEI donum est, cum subditi & exteris simul

honorificam de Principe Ejusq; statu concipiunt opinionem.  
CROSNA ac CARNOVIA in Silesia animum ornatum doctrinâ  
atq; jure optu cū recte judicetur, non posse regi populum absq; do-  
ctrinæ & adjumentis Virtutis, quæ ex libris doctorum hominum,  
possunt haberi certissima. NORIMBERGA debitum nuncupat  
Votum Eloquentiae, illa n. in tribunalibus vim suam atque Virtu-  
tem potissimum exercet, HALBERSTADIUM AC MUNDA  
omnigenam gratulatur felicitatem, cum ejus vis ad promoven-  
dam Principis autoritatem multum præstet. MARCA & RA-  
VENSPERGUM fortitudinem, Principi n. maxmè decorum est, se-  
sse invictum præstare, RAVENSTEINUM denique Magnanimita-  
tem TIBI Princeps lectissime, attribuit ex dolendam, non n. Prin-  
cipis est, moveri terroribus, & terga fottunæ vertere: sed stare in  
gradu, & quæ eveniunt ita ferre, ut nihil à dignitate Principis rece-  
dat. Postquam igitur serenissimi Parentes, amplissimæ urbes,  
provinciæ atq; Nationes celeberrimæ calida effuderunt vota in re-  
cens nati Principis sinum, tum pro corporis incolumitate, tum  
pro animi dotibus, quid restat aliud, quam ut ego quoque arre-  
pam trepidâ reverentia plenus, & Gratitudinis mex inolvam  
votum? TE igitur omnia regens & moderans Numen obtestor  
Supplex ac rogo, ut Serenissimorum Parentum, nobilissimarum ur-  
bium, Provinciarum atq; Nationum vota devota per illam immen-  
sam clementiam tuam certa rataq; facias, plenosque atque felices  
ijs aspires eventus: Tantumque ex eo, nunc quidem IN PAR-  
VIS POSITE CUNIS, SED REBUS MAXIMIS OLIM DEBITE PRIN-  
CEPS, TIBI accedat gloriæ, quantum indè ad nos redundat  
turum felicitatis. VIVE & VIGE: DEUS TE SERVET! Tuq;  
O tota adeò Brandenburgica Domus, FLORE &  
VIGE! DEUS TE SERVET!

D I X I





3

f

TA → BL

Nur M, 27, 28 verknüpft

D 18  
D 17



hieden!  
ermieden.  
lein das Licht  
t.  
len  
ebeh  
n/  
dier  
int  
ene  
glig  
G  
cke.  
den  
M  
L  
erhi  
un e  
ht b  
Sohn  
rn



SOLENNE GRATULATORIUM,  
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPI  
AC DOMINO, DOMINO  
**F R I D E R I C O**  
**G U I L I E L M O,**  
MARCHIONI BRANDENBUR-  
GICO; SACRI ROM. IMPERII ARCHICA-  
RARIO ET ELECTORI SEPTEMVIRO,  
Magdeburgi, Prusia, Juliæ, Cliviæ,  
Montium, Stetini Pomeranorum, Cassubiorum, Vanda-  
lorum Crosnæq; ac Carnoviæ in Silesiâ DUCI, PRINCIPI Hal-  
berstadensi & Mündensi. BURGGRAVIO Norimbergensi,  
COMITI Marcæ & Ravenspergi. DOMINO  
Ravensteini &c.  
**DOMINO SVO CLEMENTISSIMO.**  
*NUTRITIO STUDIORVM SVORVM OPTIMO, MAXIMO.*  
*Cum EI*  
Natus HÆRES MASCULUS esset,  
devotissimè institutum, peractumq; publicè Witte-  
bergæ Feriâ tertiatâ Paschalis  
a  
SERENISS. CELSITUD. EJUS  
Alumno subjectissimo  
SIMONE FRIDERICO FRENZELIO  
Cotbusio-Lusat. o.



Charaktere JOHANNIS RÖHNERI Academ. Typographi  
ANNO M DC. LV.